



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

De duodecim defectibus homini pio valdè perniciosis. Cap. LXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

*De duodecim defectibus, homini pio valde perniciosis.*

## CAPVT LXIII.

**P**rimo quod nimium est externus, idè & interna consolatio merito ei subtrahitur. *Secundò*, quod nimium socialis & affabilis, quare fit vt Deo minus placeat. *Tertio*, quod nimis audax & temerarius, idè spiritualement quoque verecundiam amittit. *Quarto*, quod impetu quodam ad omnia fertur, quare animi tranquillitatem perdit. *Quinto*, quod in virtutibus, reuera tamen non suis nimium extollitur, idè vera humilitate fraudatur. *Sextò*, quod pronior est, ad alios dijudicandos: quare fraternam in se charitatem iugulat. *Septimò*, quod transitoria ista nimium amat, idè diuinus amor ei subtrahitur. *Octauò*, quod superius nimium est in orationibus, idè interno quoque adfectu priuatur. *Nonò*, quod desidiò est, ad ea peragenda quibus vitia sua edomare possit, quare fit, vt gratiam quoque Dei amittat. *Decimò*, quod externis operibus nimium est adiectus, quare fit, vt ipse sibi perfectè non innotescat, & diuina insuper dulcedine destituatur. *Vndecimò*, quod nimium philautus est, idè ad germanam naturæ mortificationem nunquam perueniet. *Duodecimò*, quod in defectibus suis expiandis negligentior fit, idè puritatis animi iacturam facit non modicam.

*Decem puncta perfectionis.*

## CAPVT LXIII.

**M**ulta sanè præclara dicta in diuersis continentur libellis, atqui ex decern hisce punctis, in decem manu digitis locandis totius boni seges excrefcit. *Primo*, vigilanti sedulitate ante diuinam præsentiam semper confitens, solus apud te manebis ac internus. *Secundò*, assidue perpendes omnia verba, operatq; tua, & ea ad Dei honorem diriges. *Tertio*, quæcunque supra te vel contra te venerint, ijs vicissim cum vera misericordia, & patienti mansuetudine obuiare studebis. *Quarto*, proprios defectus, non alienos inspicias & agnoscas, cum vera humilitate. *Quinto*, non solum corpore, sed etiam mente & amore ab vniuersis rebus temporalibus te segregabis. *Sextò*, Deo semper adhaerebis cum æstuantis desiderio, & amorosa coniunctione. *Septimò*, Christi inculpam vitam amarissimam passionem, placidissimos mores frequenter habebis ob oculos, vt ea pro tua virili imiteris. *Octauò*, voluntatem tuam semper abnegatam, cum amabilissima Domini tui voluntate vnies, in tristibus, in lætis, in dulcibus & amarissimis, in habendis & carendis, in vita pariter & in morte. *Nonò*, omnes sollicitudines, omnia negocia tua Deo committendo, de manu Domini nude omnia accipies. *Decimò*, in omnibus & pro omnibus tam minusculis, quàm maiusculis Deo grauas ages & laudabis.

Aaa 2

De